

ORATIO GRATULATORIA

*Cum*

Omnipotentis Dei gratia

*Serenissimo & Potentissimo Principe*

*ac Domino,*

DN. VLADISLAO IV.

Rege Poloniæ Magno-Duce Lith-  
vania &c. &c.

ILLUSTRISSIMO & CELSISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO

DN. JACOBO

IN LIVONIA CURLANDIÆ  
ET SEMIGALLIÆ DUCI,

Ducatus Curlandiæ & Semigalliæ Regimen  
solemnissimè & felicissimè, per ejusdem Serenissimi  
Regis Commissarios Committeretur,

*Conscripta*

Et eidem Illustriss. Principi, nomine Reverendi Ministerij  
Curlandici & Semigallici debitæ observantiæ &  
faustæ acclamationis ergò

*oblata*

PAVLO Einhorn ejusdem Ducatus  
Superintendente.

---

RIGÆ, Literis GERHARDI SCHRÖDERI, 1643.

ILLUSTRISSIMO & CELSISSIMO,  
PRINCIPI AC DOMINO,

DNO IACOBO,  
IN LIVONIA CVRLANDIÆ  
ET SEMIGALLIÆ DVCI,  
Domino suo Clementissimo.

*Gratiam, Pacem & Salutem à Salutis  
fonte.*



*Illustrissime & Celsissime Prin-  
ceps ac Domine, Domine Cle-  
mentissime.*

*Ut Sole occidente tenebris omnia ob-  
f. scantur & in terra atq; aère viventia  
tristitiâ afficiuntur: Sole verò exoriente  
omnia illuminantur, & quacunq; viven-  
tia exhilarantur: Ita occidente Patriæ nostræ Sole, Illustrissi-  
mo & Celsissimo Principe, Domino Friderico, Patruo Tuo dile-  
ctissimo defuncto, proh dolor, omnes Patriæ incolæ; Solis lumine  
privati, & densis quasi tenebris obf. scati, tristabantur; & qui-  
dem meritò. TE verò tanquam Patriæ sole diu desiderato, exori-  
ente, & ducatus hujus fasces assumente, toti illuminabantur &  
letabantur. Quæ exorientis Solis radij cum ad verbi divini Mi-  
nistros etiam pertingerent, eosq; illuminarent & exhilararent:  
non poterant, quin Tibi Soli patriæ exorienti ex animo gratula-*

ventur, & quacunq; in Regimine hoc Tuo prospera precarentur.  
Quod ut testatum facerem, Orationem gratulatoriam conscrip-  
si, quâ nomine illorum Tibi gratularer. Illam presente totâ Nobi-  
litate Provinciali, in arce coram TE, ut haberem mihi proposui.  
Cum autem propter certas rationes, ut nosti, mihi tunc peroranti,  
clementes aures præbere non poteras; quamvis hæc in parte humi-  
limè me offerem: neq; alterâ vice cum II. Januarij eadem nobi-  
litas adesset, ut Juramentum Tibi præstaret occasio admitteret,  
ut illam haberem; à proposito meo decedere coactus fui. Interim  
cum res ipsa requirat, ut Tibi illi gratulentur; & munus illorum  
exigat, ut Tibi quacunq; prospera precentur; & Oratiuncula hæc  
illo sine conscripta esset; non poteram quin illam Typis traderem  
& humilimè Tibi offerrem. Quam ut clementissimè suscipias, &  
verbi divini Ministros sive Pastores Tuos: in Ducatu hoc Tuo,  
qui uno Ore & pari Affectu Tibi gratulantur; eâdem Clemen-  
tiâ, quâ olim Avus, Patruus & Parens Tuus, Illustrissimi Princi-  
pes, sanctissima memoria, illos amplexi sunt; amplectaris; hu-  
milimè rogo. Illi Tibi debitam promittunt obedientiam & præ-  
ter hanc jam Tibi oblatâ gratulationē, in regimine hoc Tuo, Tibi  
ex animo precantur, sana Consilia, dextra judicia, quacunq; feli-  
cia. Ducatui verò Tuo, Patria dulcissima, verum Dei timorem,  
Reipublicæ florem, perpetuum vigorem. Dabam Mitavie  
25. Januarij Anno 1643.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ  
Humilimus Servus

Paulus Einhorn.

Ora



## Oratio gratulatoria.



Illustrissime & Cel-  
sissime Princeps ac Do-  
mine Domine Clemen-  
tissime

Nihil magis in votis  
habuerunt, omnes status  
& ordines hujus Ducatus,  
quam ut Patrium solium  
obtineres: quotidie enim gemitu & suspirijs Altis-  
simum, per quem Reges & Principes regnant, &  
per quem illorum solium stabile & immotum confi-  
sit, sollicitarunt; ut Te, quem Deus & natura  
Principem nostrum constituit, & Rex. Serenissimus  
constitueret, confirmaret. Inprimis verbi divi-  
ni Ministri, suspirijs celum fatigarunt, ut Bonum  
hoc Patrie impetrarent, & Te suum Principem sa-  
lutarent. Quod enim Reges & Principes det mun-  
di arbiter, ut certissimi fuerunt; ita nec invidiam  
Tibi sele opponentem curarunt; sed calidis ad il-  
lum precibus suis, ejus conatus repulerunt, &

monstris quibuscunq; voris indefessis sese apposerunt. Neq; hâc in parte spe & fiducia suâ frustrati sunt: sed quod devotè quæsierunt, cum voluptate obtinuerunt. Hoc caput & culmen rei est. Si totus orbis quenquam nolit vivum, superstitem, felicem: Si Deus velit erit superstes; erit vivacissimus, felicissimus, quam vis frenat orbis & orcus. Imò quem mundus velit oppressum, suppressum, victû abjectû & ejectû: Si Deus velit, vincet, elevabitur, regnabit, imperabit & ad Solstitium perveniet honorum, Vt igitur Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, voto & suspirijs Te Principem suum flagitarunt: ita Te à DEO, natura, Lege, Rege, in patrium Solium collocatû, debitâ gratulatione omnes suscipiunt & singuli æternôq; numini debitas persolvunt laudes; quod illius gratiâ obtinuerint, Te Principem suum, anxie quæsitum, longè exoptatum. Hâc enim ratione consultum Patriæ vident Vt autem testatum id faciam, nomine illorum (verbi divini Ministrorum) omnium, ego prodij pro suâ beneficijs Patriæ exhibitis, DEO omnis boni authori & largitori pacis restitutori, Patriæ conservatori, debitas gratias acturus; Tibi Principi nostro gratulaturus Quod ut faciam, me planè compulsam & multis vinculis Tibi & toti Illustrissimæ Curlandiæ domui, obstrictum nosti;

in.

in prius gratitudine & obedientiâ, ob beneficia multiplicia, meis olim exhibita; illis confirmata, in me meosq̄, derivata. Iam quidem te orarem & quidem humilimè, ut benevolas, mihi concederes aures: verum cum illud pietatis sit, hoc obedientiæ Tibi debita, & Te eadem Clementiâ me amplecti noverim, quâ olim me meosq̄; amplexi sunt, avus & Patrus Tuus Illustrissimi Principes, sanctissimæ memoriæ, de clementia & benevolentia Tua erga me non est quod dubitem.

Ethnici olim veritatem in mendacium convertentes, & creatore præterito, creaturam colentes, periculis, morte præsentissimâ, expositi, spem verò & opinionem præter erepti, vitâ & facultatibus servatis, Diis sospitatoribus dona offerebât; vota exsolventes, quæ in acie novaculæ & moribundi fecerant. Vtrumq; autem peccatum & quidem detestandum, dijs quos error & mentis caligo introduxit salutem & auxilium tribuere, & illis vota exolvere. Illud fugiendum, hoc detestandum; neutrum imitandum. Quis enim sine cœlestis & veri numinis vindicta, errorum vanitatibus ascribet quod solum illud efficit, & vota debita de astris omnino auxilio destitutis exolveret? Nos igitur, qui veniunt colimus numen, qui divinâ tangimur religio- merito ad garamantas relegatis errorum vanitatibus,

tibus, cœlesti & æterno numini nostram tribuimus salutem; & illi servati atq; periculis erepti, debita exolvimus vota. Illi enim servare pium, illi vota exolvere utile. Nemini certè fraudi fuit illi servare; illi obedire! Ad Te igitur, ô æterne vive, vere Deus, ad Te, inquam, me convertò. Tua esse omnia confiteor. A te omne bonum cœlitus ad nos venisse agnosco. Tu sospitator noster es. A Te Patriæ nostræ salus & felicitas. Per Te illa periculis exposita, viget, floret & superstes est. per Te illa scopulis toties conquassata Syrtibus superatis, ad portum reduc̃ta sibi gratulatur. Tu in acie novaculæ constitutam servasti. Tu superbos hostes, qui nil nisi humanum sanguinem, urbium cineres; matrum lachrymas, infantum ejulatus, innocentium animarum interitum, desiderarunt, potenti dextrâ destruxisti: Tu pacem restituis̃ti, halcedonia medijs in fluctibus introduxisti. Tu pauperes omnibus facultatibus exutos recreâsti, exules reduxisti, novisq; bonis cumulasti. Tu agros desolatos colere jussisti; in oppidis desolatis & flammis delictis, nova recta exstruxisti: imò ex illorum cadaveribus nova emergere fecisti. Intolas quoscunq; servasti, pristinamq; illis sedem restituis̃ti. Tu in pace hâc patriam nova felicitate donasti; novo honore novo decore exornâsti: dum Principem ab illa ror

es exoptatum illi præfecisti. Hoc Tuum benefici-  
cium; hoc munus tam amplum & insigne nobis  
præstitum, devoti devotè exosculamur; et una cum  
beneficio hoc, manum Tuam potentem, benefi-  
cam & liberalem, quæ illud concessit nobis. Et  
cum aliud non possumus, Te adoramus, Te cele-  
bramus. Nihil enim humana mens sibi relervat,  
quod gratum Tibi, quam beneficiorum recorda-  
tionem. Et cum corda magis Tibi accepta sint,  
quam Hecatombæ amplissimæ & victimæ quæ-  
cunq; pingues, illa Tibi damus; illa sacra Tibi &  
consecrata volumus. Imo partem quam Tibi eli-  
gis optimam Tibi offerimus mentem & linguam;  
quibus Tua beneficia enumerabimus & prædicabi-  
mus, Si non quantum debemus quantum tamen  
valemus: & quod loquendo non poterimus, sen-  
tiendo præstabimus.

His præmissis laudibus & voto æterno numi-  
ni exoluto, Te suum Principem debitâ obedientiâ,  
debitâ reverentiâ, serenâ fronte, sincero corde om-  
nes & singuli excipiunt gratulatione hac: Diu-  
turnum faciat Altissimus sanctum Imperium sive  
Regimen Tuum in multos annos. Et, Tibi de  
nostris addat Pater optimus annos! Imo voto hoc,

Tertull.  
in Apolo-  
getico.



vitam prolixam , Imperium securum ; domum  
tutam, Conjugium prosperum ; Consiliarios pru-  
dentes . exercitus fortes ; ministros fideles , popu-  
lum probum ; vicinos benevolos , hostes subiectos  
agros fertiles ; pecora fœcunda ; ducatum quietum ;  
& quæcunq; vota tua sunt , in intimis cordis pene-  
trahibus , imo plura & majora tibi proficua & utilia  
precantur. Deniq; à quo omne bonum dependet  
Deum , intimis invocant cordis gemitibus , ut te  
Principem novum , novis exornet virtutibus , & in  
Regimine hoc tuo , reddat sui amantissimum , sibi  
charissimum ; tuis prudentissimum , tibi felicis-  
simum. Et quod magis est , à numine superno  
precantur , ut cum solus & unicus sis Illustrissimæ  
Curlandiæ domus generosus surculus ; unica & e-  
gregia Illustrissimorum Curlandiæ ducum animi  
effigies ; sis & maneat ejusdem Illustrissimæ domus  
decus , Patriæ ornamentum ; Illustrissimæ Curlan-  
diæ domus Lux , Patriæ Lumen ; orthodoxæ Reli-  
gionis præsidium , bonorum subsidium ; Patriæ  
bonum , Reipublicæ commodum ; Legis & Iu-  
stitiæ moderator , oppressorum tutor & curator ;  
viduarum & pupillorum defensor ; pauperum &  
exulum servator atq; protector. Hæc omnia debi-  
tâ gratulatione Tibi omnes vovent & singuli humi-  
limè ; è quibus ne unus quidem est , & si est suum  
nec

nec agnoscunt nec suum esse volunt; quí calculum  
hisce suum non adjiceret, & cum illis hæc voveret,  
Ut autem quæ Tibi sincere precantur in Regimine  
hoc Tuo à Deo Clementissimo, Illustrissime Prin-  
ceps, cœlitus obtineas; toto illum corde amabis;  
Pietatem & honestatem diliges, pro viribus defen-  
des: turpia corripies, crimina fugies, fontes ar-  
gues templa & Scholas operies. Bonis favebis,  
pios amabis, oppressos juvabis, pauperes servabis.  
Nam Deum si vis Tibi propitium, si Sospitato-  
rem; Regiminis Tui defensorem; pietati inprimis  
operam dabis. Regna enim & Ducatus firmat Pie-  
tas. Cui pietas cordi & curæ est, Deum perpetuo  
habet præsentissimum. Quod & Tu si observabis,  
eris felicissimus, ab hostibus tutissimus: adum-  
brandum enim Te suscipiet quem colis; nec quic-  
quam contra Te valebunt hostes superbi; Exper-  
ti sunt id toties veri veræ pietatis alumni, quod sem-  
per piis adsit auxiliatrice dextera, divina Majestas:  
& quod contra veram Pietatem nihil valeat armata  
manus. Vbi autem in exilium illa abit, succum-  
bant & potentissimi, palma concessâ, hosti viribus  
etiam omnibus destituto. Regum ille populi  
Dei, solis miraculo celeberrimus, pietati deditis-  
simus, cum viribus propriis & armatâ manu Assy-  
riorum Regi resistere non posset; è cœlo auxilio

2 Reg. 19.  
Ejai. 37.

impetrato, hostis ferè invicti victor exstitit, Regno  
& imperio tuto & inconcusso sibi remanente. Vi-  
des, Illustrissime Princeps, pietati è cœlo auxilium  
inopinatò adesse, & victoriam ubi nulla speratur  
concedi, cum impietas ab hostibus infirmæ etiam  
fortis victa succumbat. Quod ipsum Ethnici  
etiam Luminis naturæ beneficio depræhenderunt,  
pietatem numini ante omnia curæ esse; cœlesti,  
eamq; præter naturæ ordinem cœlitus defendi, Te-  
statum id non minus exemplis in medium addu-  
ctis facerem; si Clementiâ Tuâ abuti vellem. Sed  
quid opus est ab Ethnicis exempla petere? cum in  
promptu habeamus Avum Tuum, Principem  
Godhardum, sanctissimæ memoriæ; contra quem  
cum Moscovitarum Tyrannus; verè amarus vitæ  
pariter & mortis tortor, ut de suo hoc mihi largia-  
tur Valerius Maximus; deletâ exquisitissimis dolo-  
ribus maximâ Livonorum parte, armata manu in-  
surgeret; & nil nisi perniciem hujus Ducatus qua-  
reret: Princeps autem optimus in Viribus non ha-  
beret, ut hosti superbo & truculento resisteret; in-  
fucatâ fide, numine cœlesti invocato, quod solum  
scit parcere prostratis & debellare superbos: cœlitus  
auxilium sibi adesse sensit; hoste in fugam absq; ar-  
mis verso; pietate magis quam armis victor exi-  
stens, sibi suisq; gratulatus est. Quid r̄ quod pro  
pietar

Dictor:  
& factor:  
memor:  
Lib. 9.  
Cap. 2.

Xiphilia  
in vita M.  
Aurelij.

pietate æther etiam militaverit, & conjurati venerint ad classica venti; exempla testantur. Hoc caput & culmen rei est: Provinciæ, Ducatus, Urbes, Oppida, Regna in quibus Pietas fixam obtinet ledem, absq; muris etiam tuta & invicta sunt: quibus autem in exilium acta est, quamvis muris terreis & ferreis munita sint; victa jacent & in cineres rediguntur.

Tertul.  
in Apologet.  
Phil. mor.  
cap. 32.  
de verit.  
Rel. Chr.

*Sic ubi numen adest, fiet vel aranea murus,*

*Sic ubi numen abest, vel murus aranea fiet!*

Hæc diligenter perpende, Illustrissime & optime Princeps, & pietati infucatae operam da perpetuò: hæc enim solâ ratione Tibi & Ducatui Tuo consultum senties,

Nosti præterea, Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, nosti inquam, & quidem optimè, duo in Regimine hoc Tuo Tibi respicienda esse, Deum te superiorè; subditos Te inferiores. Illum pie colas, hos sapienter regas necesse est. Ille pietatè, hi Clementiam exigunt. Quare ut illius gratiam obtineas pietati, horû obedientiam & fidelitatè, Clementiæ operam dabis. Nihil enim laudabilius; nihil Principe dignius Clementiâ: quæ tamen ita probanda est, ut aliqua adhibeatur Severitas; sine qua regi Populus nequit. Miscebis igitur lenitatem severitati, faciesq; ex utraq; temperamen-

tum; ut neq; nimiâ asperitate, animos exulceres  
subditorum, neq; nimiâ lenitate solvas. Vtrumq̃;  
certè perniciosum, & animorum exulceratio & so-  
lutio: Nimiâ inprimis severitas & iracundia: quæ  
Reges & Principes adeò sæpè solio turbavit, ut sub-  
ditis etiam facti sint inferiores. Quid enim est ser-  
vum & mancipium esse, quam alios regere alios  
vincere; seipsum regere & vincere suisq̃; affectibus  
dominari & ab iracundia temperare non posse.  
Hinc Alexandrum Macedonum Regem toto in  
orbe celeberrimum, Diogenes Cynicus Philoso-  
phus, mancipium affirmavit, cum victorem ma-  
ximæ ferè orbis partis proclamare debuisset. Et de  
eodem, Valerius maximus, Alexandrum, inquit,  
iracundia sua propemodum cælo diripuit. Et quod  
deterius est, comitatur hoc vitium aliud non mi-  
nus detestandum, quod qui illo dediti sint, faciles  
præbeant adulatoribus aures. Nihil enim ab his  
facilius expugnari potest, ad suum commodum,  
aliorum perniciem, quam animus iracundus.  
Quid enim est, quod detestandi adultores quæ-  
runt, nisi proprium commodum aliorum perni-  
ciem? quod ipsum ab animo iracundo facile obti-  
nent: cum enim illum in subditorum detrimen-  
tum ferri viderint, facile exasperare eundem pos-  
sunt, ut majori fervore in innocentes sæviat: oleum  
verè

Lib: 3.  
Cap. 2.

verè igni addentes. In primis hâc in parte multùm  
valent in Regum & Principum auliseruditionem  
jactantes singularem, scientiis absq; fundamento  
inflati, quorum nostra ætas est feracissima non glo-  
riam divinam, non Principum & Republicæ salu-  
tem, non subditorum commodum; sed populi  
auram, suam gloriam, propriam dignitatem, suo-  
rum utilitatem quærentes. Ab illis verâ pietate  
& prudentiâ præviâ, tutus si fueris; eris in regimine  
Tuo felicissimus, & habebis subditos fidelissimos:  
omnis enim illorum vita, omnes fortunæ Tibi  
sacræ erunt; quas servitiis Tuis subjectissimis  
offerent.

Nunc ad omnes Patriæ nostræ incolas mea se-  
vertit oratio! Felicitatem obtinuitis, ab omnibus  
desideratam, diu speratam, sæpius optatam; Pa-  
triæ videlicet pacem, Patriæ Patrem. Unde duplici  
à numine superno affecti beneficio, tam nobili  
meritò gaudetis bono. Cui enim vestrum ignotū  
est, bello toties resudescente Patriam vestram, se-  
vultam & obrutam ferè fuisse: ante paucos autem  
annos, spem & opinionem præter, auream obti-  
nisse cœlitus pacem: in & cum verò pace illa Pa-  
triæ vestræ, Illustrissimum Principem ve-  
strum, qui in Patrio nunc residet Solio. At du-  
rum beneficium vobis, exhibitum, annon  
lum-

Herod.  
Lib: 2. p.  
m. 164.

summum Patriæ vestræ bonum, non tam laudabile quam honorabile? Ab Historico ut antiquissimo, ita præclarissimo Herodato accipimus, solem in Ægypto bis exortum, ubi nunc occidit. Res sanè & noranda & admiranda! Verum quid tantoperè illam miramini, cum idem & in Patria vestra præstiterit Deus, mirabilis in operibus suis? Martis enim furoribus illâ ferè oppressâ & Cim meriis, quasi tenebris obfuscatâ, pace in ipsò occasu existente, annon solem Patriæ vobis exoriri fecit? Illâ autem exortâ, annon & alterâ vice, Patriæ vestræ Solem Illustrissimum Principem vestrû cuius iam lumine & radiis gaudetis, ipso etiam in occasu, exoriri vidistis? Quâ in re tam mirabili & vobis proficua meritò sapientiam & potentiam, magis autem Clementiam Dei vestri miramini. Subditi olim, Historicis non extremæ notæ testibus signa & prodigia, Regum & Principum sive, nativitatem sive regimen antecedentia diligentissimè annotarunt: ominosa enim portenta, nascendorum Principum crudelitatem, indice quasi digito indicarunt. Contra laudatissimorum & optimorum Clementiam & humanitatem, amabiles & acceptissimæ quædam notæ prædixerunt. Alexandri Macedonis crudelitatem, saxa & lapides sanguinem sudantes, nurrunt. Servio Tullio puerulo dormienti, flam-

Chronic.  
Sebastia.  
Franci  
parte præ.  
f. 8. 9. Just.

circa caput emicuisse, domestici oculi annotarunt. Lib. 13. p.

Quod prodigium Servio servâ nato, regium fasti 154.

gium promisit. Cyri nascentis magnitudinem imò Herodot.

magnificentiam florida vitis, Darij Histaspis con- lib. 1. p. 52.

tru sereno cœlo prædixit. Non defuit & Patriæ ve- Justin. lib.

stræ omen aliquod singulare, Principis vestri Regi- 1. p. 15.

men præcurrens, aurea nimirum Patriæ pax, quæ Herodot.

Regimen ejus præcurrit. Quod omen tam amabile Lib. 3. p.

& jucundum, non crudelem, fastuosum, inhumana- 225.

rum: Sed Principem placidum & clementem vo-

bis promisit. Dum enim antequam in Patrium so-

lium reponeretur; mediis in fluctibus indomiti

quasi maris halcyonia sese offerrent; in ipsis nimi-

rum Martis diris furoribus, pax aurea tanquam

hesperus exoriretur: quid vobis nunciavit, quam

Principem vestrum fore pacificum, placidum, cle-

mentem? Id enim proprium est Patris Patriæ. A

patre liberi, á Patre Patriæ subditi clementiam exi-

gunt. Illum igitur sincerè amabitis, illi debita m

obedientiam præstabitis, donec fores pectoris ve-

stræ honestati, pietati & virtuti cuicumq; patebunt.

in autem omnes vos adesse non dubitem

vestræ gratulemini; mecum æternum

amore una mentem invocare, ut sub illius

am post modum benigniora respiciant

illi sub novo hoc Principe nova lux,



nova serenitas, nova prosperitas! Avertat potentissima potentissimi dextra, seditiones, bella, incendia, famem, morbos pestiles. Absint tragici quicumq; Casus, quæcunq; flagitia. Absint dissidia, rixæ, intestina odia. Absint homicidia, parricidia, incestus & quæcunq; detestanda scelera: ne miserî ejusmodi contaminati flagitiis; sint Deo abominatio; Patriæ scelus; suis pudor; hostibus ludibrium; vicinis scandalum; sibi furia, exteris fabula! Absint quæcunq; monstra, portenta & pestes qualescunq; Patriæ interitum quærentes. Intereant & dissipentur mala consilia cum consultore pessimo: & faciat ille qui omnia intuetur, & abditos cordis scrutatur recessus, artificem fraudis fraude perire sua! Pax autem fixâ sub illo gaudeat sede: sint halædonia in choro, foro, thoro. Sit concordia inter omnes quotquot Patriam incolunt. Sit unum cor, unus animus, una mens: Sint multi unum conglutinati flamine cœlesti.

Ut auri hæc à cœlesti numine omnibus præsentissimo, suis clementissimo, obtineamus; devoti devotè manus & mentes cœlo inferamus hoc. quod ex omnium corde ad unum præ Deum. Custodi serva, tuere, protege, ornamentissime Deus, Custodi Illustrissimæ landiæ domum; averte ab illa aspera fa

illa vigeat illa, floreat illa ad seram usq; si qua futura est, prosteritatem. **Serva Illustrissimum Principem nostrum, vitam illi & valetudinem concede; morbos & quoscunq; tragicos casus averte. Tuere orthodoxam Religionem; averte lupos & heterodoxos; & qui adlunt, si convertendi sunt converte; si minus evert.** Protege Patriam & omnes in illa ordines: sint quicunq; in illa Tibi deditissimi pietatis; amantissimi, pacis studiosissimi, Magistratui obedientissimi, ut obtineant Tuam bonitatem **Principis sui clementiam, bonorum omnium erga se benevolentiam.**

**D I X I.**

